

THOMAS CAMPION

AD THAMESIN (283 vers)

v.1 Nympha potens Thamesis soli cessura Dianae,
 2 caeruleum caput effer aquis : carchesia late
 3 quae modo constiterant signis horrenda cruentis,
 4 ecce tuos trepide liquere fugacia portus.
 5 Non tulit Hispanos crudelia signa sequentes
 6 Neptunus pater, et multum indignantia spumis
 7 aequora, non Deus aetherea qui fulminat arce,
 8 nubila qui solvit, ventorumque assidet alis.
 9 Ille suos cultus, sua templa, suosque Britannos
 10 proteget, ultricemque suam victricibus armis.
 11 Nec Romana feret purgatis orgia fanis
 12 refluere, aut vetitas fieri libamen ad aras.
 13 O pietas odiosa Deo, scelerataque sacra,
 14 quae magis inficiunt (damnosa piacula) sontes.
 15 Est locus Hesperis, Diti sacer, abditus undis,
 16 quem pius occuluit Nereus, hominumque misertus
 17 Oceanus, quemque ipse deis metuendus Apollo
 18 luminis inditio quod detegit omnia, sensit
 19 ignotis sub aquis melius potuisse latere.
 20 At pater umbrarum, cui Nox parit horrida natos
 21 terribiles, nigro vultus signante corymbo
 22 ille per obscuras petit antra immania silvas
 23 aurea, silvarum Stygiae sub tegmine nymphae
 24 atra tenebrosis spectant in fontibus ora.
 25 Eumenides regem comitantur, et ortus Echidna
 26 Cerberus, et quae monstra tulit furialis origo,
 27 quos caput horrendum quatiens sic alloquitur Dis :
 28 "Paci inimica cohors, nunc iras sumite pleno
 29 pectore, nunc totas penitus diffundite vires,
 30 exululate sacros, et quos horrere susurros
 31 ipse velim, collecta simul conflata venena,
 32 tabe Promethea riguis quas Caucasus herbas,
 33 Tantalea eve ferunt lymphae, Phlegethonve Acheronve,
 34 laetificas armate manus, Anioque Tiburque
 35 sentiat infusum virus, Duriusque Tagusque,
 36 diraque Avernales exsuscitet unda furores,
 37 irarumque minas, avidique incendia belli.
 38 Dixit, et effugiunt quassantes ore colubros
 39 anguicomae. Diti dolor excitat, evolat antro,
 40 et vagus excurrit sinuosi margine ponti
 41 atra velut nubes ventis agitata, senemque
 42 Oceanum vocat, et rauco clamore remugit.
 43 Constiterant fluctus, egere silentia venti,
 44 cyaneis os tollit aquis venerabile numen
 45 aequoreum, madidasque comas a fronte removit,
 46 Ismaris superare nives albedine visas.
 47 Quamvis nulla senis subiit reverentia Ditem,

48 sic tamen affatur, mollitque astutia vultum :
 49 "O qui luctantes civiliaque arma gerentes
 50 imperio fluctus componis, et aequora late
 51 fusa, et sidentes ruptis de montibus amnes,
 52 cur invisata jacet, cur haec vacat insula cultu ?
 53 Pondere terra gemit, foeto maturuit alvo
 54 resplendens aurum ; ferit hoc mortalia sidus
 55 pectora, tu solus prohibes quod amabilis auri
 56 suadet amor facinus. Non has Romanus ad oras,
 57 non venit Hispanus castris assuetus et armis,
 58 nec quisquam Italiae, tua monstra natantia terrent.
 59 Esto precor facilis, quosque ingens gloria Martis
 60 extulit Hesperios, animis rebusque potentes
 61 excipe, conde sinu, nostroque in littora siste."
 62 Quem contra Oceanus : " Tibi, Dis, patet Orcus, et omnis
 63 vis terrena, nocensque aegris mortalibus aurum
 64 verum siquid habent, et habent tua munera pulchri.
 65 Sunt Angli, sunt Trojana de gente Britanni,
 66 qui pacem numenque colunt, et templa fatigant.
 67 Sin longa spectes serie numerosa trophaea,
 68 has etiam spectes immensae molis arenas."
 69 Ingemuit, traxitque imo suspiria corde
 70 Tartareus, spumaque oris barbam albicat atram
 71 aggressumque tuas, decus o regina Britannum,
 72 virtutes narrare, fremens occoepit acutis
 73 obturbare senem stridoribus, et ferus ira
 74 concussit piceos scabra rubigine dentes.
 75 Ardebant oculi, vultu pax exulat omnis,
 76 excidit obsequium et meditata precamina, diras
 77 evomit atque minas quales irata Medea.
 78 "Et tibi," ait, "quoniam levis est mea visa potestas,
 79 rumpam fundamenta maris quae tegmine nostras
 80 obfuscant aedes, post imas quaere sub umbras
 81 in fluctus requiem, sedemque cadentibus undis."
 82 Horruit Oceanus (vitium formido senile est).
 83 Sed quid non ausit demens furor, et mala praeceps
 84 in sua ? Vix motum longa mulcedine Ditem
 85 leniit, et malus impetratis rebus abivit.
 86 Carbasa tenduntur subito venientibus Euris,
 87 Et ruit aequoreos male gratum pondus in armos.
 88 Cogitat Oceanus rapido nunc mergere ponto,
 89 nunc gravibus scopulis, in acutaque figere saxa.
 90 Cauta iram cohibet mens, at vindicta dolentem
 91 oblectat, sensitque animo te, Drace, futurum
 92 exitio Hispanis, clarumque insignibus ausis
 93 Frobuicerum, pariterque novis successibus oras
 94 ampla reportantem ad patrias spolia auripotentem
 95 Candisium : audaces animos fortuna secundat.
 96 Excipit Hesperios Dis, quem tegit aurea palla,
 97 corporis et tenebrae vestis fulgore coruscant,
 98 vix hunc credideris caecas habitare cavernas,
 99 squalentemque situ Stygiis sordere sub umbris.
 100 O quam splendescit Venus aurea ! Suavis in auro est
 101 gratia, multus honos, absque auro gratia nulla est.
 102 Propter Avarities stat inhospita, lumine laeta
 103 sollicito ; mirum, hoc laetatur in hospite, nullum
 104 quae colit hospitium ! Libyca est procul invia Syrtis
 105 per vada, stant tacitae longa insuetudine silvae,

106 semper et obdormit tranquilla in montibus Echo,
107 dissimilisque sui, non est qui suscitetur illam.
108 Moenibus obsepta est sublimibus aerea turris,
109 Mulciber hanc vario torquens errore viarum
110 aeternum statuit non expugnabile tectum.
111 Haec domus, hic misera insomnis noctesque diesque
112 thesaurum observat caeca tellure sepultum.
113 Et quia causa deest, fingit sibi monstra timenda,
114 formidatque animo quas non praesenserat umbras.
115 Turribus aeriis tuta est si credere posset,
116 tuta loco, exstructis ingens super aequor arenis.
117 Alta per exigua clauduntur moenia portam,
118 hanc sola ingreditur, nunquam egreditur nisi Plutus
119 evocet, eximium hunc spretis habet omnibus unum.
120 Proxima purpurea succedit cuspide caedes,
121 suspiciosa oculos obliquans, atque cruentum
122 vix animo halato cor in ilia gurgitat atra,
123 atra aestu, rabieque insana fellis adusti.
124 Ultima subsequitur manifesta Superbia curru,
125 fastiditque solum, sellam haud dignatur eburnam
126 qua vehitur, quam traxit avis Junonia pompam
127 pennarum expandens, gemmasque elata recludens.
128 Agmina conveniunt, dextras utrimque dederunt,
129 Dis ait : " Hesperii, satis est dextraeque moraeque,
130 mensa diesque vocant, periit pars optima lucis."
131 Applaudunt regi umbrarum portuque recedunt.
132 Ecce fatigatos laevo curvamine caeli
133 lentus agens Hyperion equos, curruque reclinans,
134 viderat Hesperios, et quis novus incola terras
135 venit in ignotas miratur, eoque morantes
136 cursores animat, Tethidosque hortatur ad undas.
137 Interea ingentem vino cratera propinant,
138 indulgentque epulis Dis cum regaliter usis
139 hospitibus, donec gelidis stipata tenebris
140 induxit somnos nox, atque papavera sparsit.
141 Postera deformes roseo velamine texit
142 umbras Aurora, et simulatis fronte capillis.
143 Concurrunt Stygiae ferientes tympana nymphae,
144 et recinunt miserum clamoso gutture carmen.
145 Ducentesque choros dominum regemque requirunt.
146 Turba petit silvas somno experrecta madentes
147 rore levi suavesque expirans gramen odores.
148 Valle sub obscura liquidis argenteus undis
149 fons erat, invidiae sacer, hunc, Narcisse, petisses
150 tutus, in adversam quia nulla repercutitur lux
151 seu lucis radius speciem, sed quicquid in orbe
152 est usquam limphis manifesto cernitur illis.
153 Fons mundi speculum est, sed qui speculatur in illo
154 morbum oculis haurit madidum, et lethale venenum.
155 Huc divertentes cum Dite Hispana juvenus
156 immisere oculos avidae putealibus undis,
157 et sub aqua mirantur aquas, urbesque, domosque.
158 Agnovere suos portus, nemora, arvaeque et aurei
159 lucida signa Tagi. Longe omnibus eminent una
160 cuncta mari tellus, celeberrima rupibus albis,
161 hanc spectant, et agros, urbes, vada, flumina, fontes
162 laudant invitati, hac una regione morantur,
163 quaeque vident cupiunt, atque invidere videndo.

164 Paulatim increvit pulmonibus ardor anhelis,
 165 lividus ora color, macies cariosa medullas
 166 occupat, illi acres pugnant superare dolores.
 167 Jamque odio locus est, nec jam discedere possunt.
 168 Sic miseri cum flamma aedes circumflua vastat,
 169 excussi somnis media sub nocte paventes
 170 corpora proriperent, obsistit at obvius ignis,
 171 cernentesque adversa oculos, et cassa moventes
 172 effugia exurit feralis taeda lacertos.
 173 Postquam irretitas acies, et vulneris aestus
 174 senserat arderi et frangi juvenilia corda
 175 Dis, arrisit aquis, laetusque silentia rupit :
 176 "Spectatae satis, o juvenes, nimiumque recedant
 177 caelestes lymphae, mens est et numen in illis.
 178 Ecce ferunt violas detexaque lilia nymphae,
 179 ecce struunt inserta rosas fontemque coronant."
 180 Nondum extreme gravis diverberat ora loquentis
 181 imber, et obducto recidentia nubila caelo.
 182 Tristis hiems et nox nullo suadente resurgit
 183 vespere, terrarumque orbem intempesta recondit.
 184 Per juga dissiliunt fluctus, volvuntur et imas
 185 in valles, teretesque trahunt de montibus ornos.
 186 Intremuere omnes, Dis autem interritus umbras
 187 increpat, et facilem concussit arundine terram.
 188 Terra tremit, nigrasque aditum patefecit ad arces.
 189 At dirupta jam ruituris subvolat Auster
 190 nube, pruinosisque cadentes sustinet alis.
 191 Taenarium nemus umbriferum, tacitaeque cavernas
 192 noctis, et aeternum quibus obdormire sepulchris
 193 adsuevit Morphei pater, haec praetervolat aestu
 194 fulmineo, donec portas prope sensit opacas
 195 stantem Hecaten, mediis qua circumcingitur umbris.
 196 Desilit hic terramque vagis amplectitur ulnis.
 197 Laeta viro occurrit Plutonia, dumque stupescit
 198 haud expectatos comites, fugit imbrifer Auster,
 199 et numerosa horret niveis concussa capillis
 200 stiria, luctificique fluunt cum grandine nimbi.
 201 Delicias facit hospitibus, Stygiosque lepores
 202 Dis, et in obscuros Trivia comitante recessus
 203 monstrat iter. Stant mensae epulis vinoque repletae,
 204 aureo et effulgent operosa cubilia tecto.
 205 Accubuere, canente suam accumbentibus Orptheo
 206 Eurydicen, quaeque olim inter Rhodopeia saxa
 207 fudit ad umbrosas quercus, tenuesque miricas.
 208 Quin etiam immites Thressas flevisset, et Hebro
 209 dimersum caput et Cytheram, si non dea mater,
 210 flens dea Calliope, nati compresserat ora.
 211 Conticuit, subitoque oritur miserabile murmur,
 212 quale sepulchris cum naenia flebilis inter
 213 affines canitur resono plangore gementes.
 214 Lugentque Hesperii nequaquam in vatis honorem,
 215 pestiferi sed enim torquentur imagine fontis,
 216 visorumque memor furit aegris dira cupido
 217 pectoribus, totasque aedes singultibus implent.
 218 Nec sua turpari moesto convivia luctu
 219 sustinet ulterius Cereris gener, atque ita fatur :
 220 "Ita leves umbrae, celsas ad sidera pinus
 221 exstruite, et fluidas lato super aequore turres,

222 vosque nisi hospitii pigeat fortassis Iberi.
 223 Exhilarate animos, neu quem simulacra dolorem
 224 vana ferant. Nam quae niveis fronte insula saxis
 225 emicuit spectans Helicen gelidumque Booten
 226 insula, dives opum sedes, veneranda Britannis,
 227 ingentes diffisa suis horrere carinas
 228 discet, et Hispano tandem succumbere ferro."
 229 Cincta sub haec aderat torto caput angue Megaera,
 230 horrida tela, ignes, et ahenea monstra ministrans.
 231 Ergo incenduntur furiis, Stygiasque ad arenas
 232 armati incedunt, nigros ubi cernere manes
 233 littoribus tot erat, quot apes praesepia circum,
 234 aut aestate solent turmatim irrepere sulcis
 235 formicae. Cursansque ignito horrendo flagello
 236 undique Tisiphone cessantes verberat umbras.
 237 Jam sed in immensum ceu turres seu juga Pindi
 238 increvere rates, quas et mirata juvenus
 239 Hesperia, et Stygio faciunt vota impia regi.
 240 Incubuere omnes, et olenti littore classem
 241 diducunt mare per gelidum, Cynosuris euntes
 242 respicit, aspectu sed dedignante Calistho,
 243 jamque fremens, ut erat vultu illaetabilis ursa
 244 unguibus immites nimbos concussit, et auras
 245 nubibus infestat, pugnamque Aquilonibus Austros
 246 adversum instituit, veteresque resuscitat iras.
 247 At tu, nympharum Thamesis pulcherrima, lymphis
 248 alta tuis, procul ut vidisti hostilia signa,
 249 tu dea flumineam spaciosa gurgite frontem
 250 celata, aequoreas turbasti fluctibus undas
 251 donec Ibera cohors ventorum pulsa furore,
 252 et virtute virum, per Hibernica saxa refugit.
 253 Illic dira fames Scythicas illapsa per auras,
 254 et Lybico vesana sitis de pulvere nata,
 255 tum Phlegetontaeae pestes, rabidique furores,
 256 ingratusque sibi dolor, et sua funera Erinnis
 257 exornans, nigra Hispanos sub Tartara mittunt.
 258 Sic o sic pereant advorsis undique fatis ;
 259 Ira Calistoniae trepidisque impendeat ursae,
 260 sive bibant Tiberim, vel aquas torrentis Iberi,
 261 sive Aurora novo, sero vel sole recedens
 262 Hesperus illustret gentes, umbrasque repellat.
 263 Sic pereat, quicumque tuas fleturus in oras
 264 vela inimica dabit Brutique nepotibus, et diis,
 265 o vetus hospitium, sanctumque Britannia nomen !
 266 Tuque viresce diu, dea, ceu Daphneia laurus,
 267 tu, dea, tu felix Anglorum numen Elisa
 268 non aconitum in te virus, non ensis acumen,
 269 nec magicum vim carmen habet, nec flamma calorem.
 270 Scilicet integrum divina potentia pectus
 271 firmat et humano dedit inviolabile ferro.
 272 Ergo diu vigeas : procul hinc fuge, pigra senectus,
 273 Ismarioque cuba glaciali frigida saxo,
 274 vel steriles inter quas alluit Ister arenas.
 275 I fuge, caelestes animas tentare nefandum est.
 276 Fallor ? An excessit tardo per inane volatu ?
 277 Ecce autem rigidam trahit inter nubila pallam,
 278 et tremit, et cani recidunt horrore capilli.
 279 At te, diva, rosis ambit formosa juvena,

280 atque Heliconiacas aspergit floribus undas.
281 O diva, o miseris spes Elisabetha Britannis
282 una, senectutem superes, pulsisque superstes
283 hostibus, innumeros gemines virtutibus annos.